



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

9. An Inquisitores possint procedere contra Papam in hæresi
deprehensum? Vel an hæ cognitio spectet ad Generale Concilium? Ex
part. 4. tract. 8. resol. 58.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et Potestate Inquisitorum. Ref. V. &c. 421

etiam aduersus voluntatem Regis insurgunt, ut patet ex dictis. Domini enim Inquisitores nunquam se extendunt ad aliquid faciendum, nisi id sibi competat de iure, seu de consuetudine, vel saltem exemplis non constet, hoc aliàs factum fuisse, quod comprehenditur, & conceditur à Regibus in illis verbis, [y en otra qualquier manera,] & in illis, [alli por derecho como por costumbre,] quæ omnia si aliqui scirent & considerarent non quidem contra DD. Inquisitores obmurmurarent, dicentes illos multa exercere, quod de iure facere non possunt, nam multa etiam licite faciunt, stante usu, & consuetudine, & ita hanc sententiam post hæc scripta tenet etiam Soufa in *aphorism. Inquisit. lib. 4. cap. 3. num. 5.* ubi ex quadam Bulla Pauli III. docet quod conceditur Inquisitoribus ut consuetudinem & aliis quibus quomodolibet utuntur.

RESOL. V.

An Inquisitores sub sint Legatis Summi Pontificis? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 27.

§. 1. **A**D hoc dubium ita responder Antonius Sanctarellus de *hæresi cap. 40. dub. 5. n. 3. 1.* ubi sic asserit: Nota olim Legatum Sum. Pontificis habuisse jurisdictionem in Inquisitores, ut patet ex constit. Urbani IV. quam refert Locutus in *judiciali Inquisitorum, ver. Legatus, n. 2.* hodie verò sine speciali facultate Pontificis, vel supremæ Inquisitionis Rom. in rebus pertinentibus ad Officiū S. Inquisitionis non solent Legati Pontificis se ingerere. Ita Sanctarellus.

RESOL. VI.

An Inquisitor Generalis possit ad libitum removere alios Inquisitores ab officio, vel de loco ad locum transferre? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 34.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam videtur docere Ludou. Molina de *just. tom. 5. tract. 5. disp. 28. n. 7.* Verum ego contrarium sentio, ex rationibus quas adducit Ferdinandus de Castro in *op. mor. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 12. §. 2. n. 20.* nisi interveniat aliqua iusta causa, quæ in ordine ad illos absolvendum erit ab officio. Prima, si non habent debitas condiciones. Secunda si superveniente infirmitate inhabiles ad officium exercendum, prout opus est, efficiuntur. Tertia, si in exercendo officio dolose delinquerent. Causa verò iusta ad Inquisitores de loco ad locum transferendi erit. Prima quando Inquisitor est multum ad negotia aptus, & locus in quo manet, non requirit personam ita solertem, sicut indiget locus alter. Secunda, quando contra eum suscitata sint rixæ, & odia capitalia, quia processerunt contra nobiles, & insignes personas, unde trepidandum est de scandalo. Tertia quando non bene se habet cum Principibus, in quibus tamen duobus casibus posterioribus, si hæc contra Inquisitorem sint suscitata ob injustā causam, erit de meliori inquisitione providendum ne puniatur ubi non meretur. Et hæc omnia docet Michaël Zanardus in *direct. Theol. par. 2. c. 6. q. 9. & 19.* Vide etiam circa præsentem quæstionem Zecchium in *summ. tom. 1. tit. de fide cap. 11. n. 13.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 9. & Pegnam in direct. Inquis. p. 3. q. 10. comm. 59.*

RESOL. VII.

An Inquisitores debeant esse magis Theologi, quam iurisperiti? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 52. Tom. V.

§. 1. **T**heologos esse debere docet Michaël Zanardus in *direct. Theol. par. 2. cap. 6. quæst. 12.* quia, ait, ipse, ad eos spectat de propositionibus ac factis hæreticis iudicare; processum vero formare, testes examinare, & de causa iudicare simul cum petito Notario fiscali & suis Consultoribus. possunt explere Ita idem, & ante illum Pegna in *direct. Inquis. par. 3. comment. 50.*

2. Verum mihi contraria sententia magis placet, quia Inquisitores in causis fidei plura ut Iurisperiti, quàm ut Theologi efficere debent, ut per experientiam patet, ergo, &c. Vnde Iacobus Simanca in *instit. Cathol. tit. 41. num. 3.* testatur experientia jam olim in Hispania fuisse comperitum, longè utilius & commodius esse ut Inquisitores eligantur Iurisperiti, quàm Theologi, quidquid Theologaster ille deliret Ocham. Ita Simanca & post illum Sigismundus Secacia de *judiciis, lib. 1. cap. 87. num. 10.* ubi ex multis rationibus probat, Inquisitores magis Iurisperitos, quàm Theologos eligendos esse.

RESOL. VIII.

An Inquisitores eligendi debeant habere ætatem quadraginta annorum?

Et quid est dicendum de Inquisitoribus Hispania, an sufficiat, ut attingant annum trigessimum?

Et notatur Commissarios Inquisitorum sufficere annum trigessimum attingere? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 54.

§. 1. **A**ffirmativè respondendum est stando in jure communi, nam ita decernitur in *Clem. nolentes de hæret. Vnde si eligerentur in alia minori ætate, electio esset nulla, ut observat glossa in d. Clem. ver. committi, & ibi Anchatanus n. 2. & Zabarella n. 3. & ita hanc sententiam tenet Moscosus de *majest. milit. Eccl. lib. 1. part. 1. cap. 11.* Homobonus de Bonis in *tract. de statibus, p. 1. c. 8. & alij communiter.**

2. Verum his non obstantibus, ut optimè observat Antonius Sanctarellus *tract. de hæresi, cap. 40. dub. 1. n. 6. & Zanardus in direct. Theol. par. 1. cap. 6. n. 12.* cum hoc tempore Inquisitores creantur ab Eminentiſſimis Cardinalibus Sanctæ Inquisitionis Romanæ, non videtur valde curandum, an quadragessimum ætatis annum attingerint, quia eliguntur de scientia Sum. Pontif. à quo si in quacunque ætate eligantur Inquisitores, valet eorum electio, etiam ignorante Pontifice ætatem, ut observat Farin. de *hæresi q. 86. n. 51.* Sed quid dicendum de Inquisitoribus Hispaniæ. Dico igitur quod Inquisitores qui creantur à Generali Inquisitore Hispaniarum ex privilegio Summi Pontificis, sufficit ut attingant annum trigessimum, ut observat Zanardus *ubi sup. & ante illum docuerat Iacob. Simanca in cathol. instit. tit. 34. n. 12. Rojas singul. 106. n. 7. & alij.*

3. Notandum est tamen hic obiter commissarios Inquisitorum sufficere annum trigessimum attingere, & ita docet Molina *tom. 5. tract. 5. disp. 28. n. 23.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 4.* Pegna in *direct. Inquis. par. 3. comm. 61. & 65.* quidquid in contrarium asserat glossa, & Io. Andreas in *d. Clem. 1. de hæret.*

RESOL. IX.

An Inquisitores possint procedere contra Papam in hæresi deprehensum?

Vel an hæc cognitio spectet ad Generale Concilium? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 58.

§. 1. **H**oc dubium movet Michaël Zanardus in *direct. Theol. p. 2. cap. 6. q. 20. & ad illud negativè*

tive responderet, quia Inquisitores sunt Papæ delegati, & inferiores, sed inferior suum Superiorem judicare non potest: ergo, &c. Igitur in tali casu ait Zanardus, hæc cognitio spectabit ad Generale Concilium quod potest illum citare, examinare, & si in hæresi obdurus remaneat, eum à suo gradu ejicere potest, nam in hoc casu ipso facto immediate à Christo deponitur, ut docent Caietanus de auctoritat. Papa cap. 18. & 19. Cordaba lib. 4. quest. 11. Sotus in 4. dist. 22. quest. 2. art. 2. Canus de locis lib. 4. cap. ult. ad argument. 12. & alij.

2. Verum ego puto Papam etiam ut personam privatam non posse esse hæreticum contumacem, licet possit errare ex ignorantia, & ita tenet Suarez de fide dist. 10. sect. 6. num. 11. Simanca in cathol. instit. tit. 12. num. 14. Bonacina in Bulla Cæne dist. 1. quest. 2. punct. 1. num. 12. Bellarminus lib. 4. de Summo Pontifice cap. 8. & 11. & ante illos Pighius lib. 4. hierarchia Ecclesiast. cap. 8. licet contrarium sentiat Sotus ubi supra, Calstrus de justa hæresi. punct. lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 22. Canus de locis lib. 6. cap. 12. Turrecemata lib. 2. cap. 10. & Turrianus tom. 1. in 2. 2. dist. 16. dub. 1.

RESOL. X.

An Inquisitores possint procedere contra Nuntios, & Officiales Sedis Apostolicæ? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 24.

§. 1. Respondeo negativè ex Extravag. cum Mattheus, de hæresi, & ita observant Zanardus in direct. Theol. par. 2. cap. 6. quest. 21. Homobonus de statibus par. 1. cap. 8. Suarez de fide dist. 20. sect. 4. num. 16. Molina tract. 5. de just. dist. 28. n. 20. Sancius in select. dist. 1. num. 33. Decianus tom. 1. lib. 5. cap. 23. num. 10. Rodericus Acugna de Confess. sol. quest. 1. 2. n. 8. Pegna in direct. Inquisit. par. 3. comment. 36. Simanca in cathol. instit. tit. 34. num. 36. & alij. Sed qui sunt Officiales Sedis Apostolicæ, vide Cenedum part. 3. collect. 14. n. 1. & 2. Molinam ubi supra, asserentes esse illos, qui nomine Sedis Apostolicæ ad negotium Sedi Apostolicæ pertingens tractandum mittuntur, non autem illi, qui ad causas particulares inter alios judicandas, ac dirimendas quotidie à Sede Apostolica mittuntur.

RESOL. XI.

An Inquisitores possint procedere contra Episcopos? Et quid, si Episcopus est titularis, vel electus, & confirmatus, licet nondum consecratus? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 21.

Sup. hoc sup. §. 1. Respondeo negativè, ex cap. Inquisitores, de hæresi. in 6. nisi Episcopus esset suspectus de fide, & vel aliquis in manifestum fidei, & fidelium detrimentum moliretur, quia tunc potest capi, & custodiri donec Summ. Pontifex certior redderetur. Et ita tenet Michaël Zanardus in direct. Theol. par. 2. c. 6. quest. 22. cui adde Molinam de just. tract. 5. dist. 28. n. 19. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 112. n. 14. Acugnam ubi infra, & alios.

2. Notandum est etiam quod responsio negativa de non procedendo Inquisitores contra Episcopum procedit, etiam si Episcopus sit titularis. Ita Acugna de Confess. sol. q. 12. n. 7. & n. 11. docet pariter hoc procedere in Episcopis electis, & confirmatis, licet nondum consecratis. Vide etiam Molinam ubi supra, & Sanchez lib. 8. dist. 2. n. 11.

3. Verum licet supradicta sint vera, tamen ego pu-

to contra glossam in d. cap. Inquisitores, ver. Apostolica, & ibi Monach. & Archidiacon. posse Inquisitores de hæresi Episcopi cognoscere ad dicta testium adversus eum recipiendo, ut sic negotium instructum ad Pontificem mittant, cum cautelis de quibus Pegna infra, & ita tenet Suarez de fide dist. 20. sect. 4. n. 25. Simanca in cathol. instit. tit. 25. n. 8. Pegna in direct. Inquisit. par. 3. comment. 76. Zecchius in summ. tom. 1. tit. de hæresi. c. 11. n. 13. & alij.

RESOL. XII.

An Inquisitores debeant procedere cum Generalibus Religionum, in causa hæresi sicut procedunt cum Episcopis?

Et an hodie interdictum sit Prælati Regularibus cognoscere de causis hæreticalibus suorum subditorum, eoque punire? Ex p. 4. tract. 8. Ref. 23.

§. 1. Delictum hæresi Episcoporum est reservatum Summo Pontifici, & contra illos in tali casu non potest procedere Inquisitores, quæritur modo an idem dicendum sit de Generalibus Religionum.

2. Affirmativè respondet Hieronymus Rodriguez in compen. qq. Regul. sol. 73. num. 1. Emanuel Rodig. in qq. Regul. tom. 2. q. 81. art. 1. Pegna in direct. Inquisit. p. 3. comment. 74. & Navarrus cap. 1. de foro compet. n. 4. Verum contra prædictam sententiam & meritum insurgit Freitas in addit. ad tract. Roderici Acugna de Confess. sol. q. 12. n. 20. & ratio est, quia exceptio cap. Inquisitores, ubi sup. excipit Episcopos tantum, ergo ad Generales Religionum extendi non debet, ex regula in l. siquidem, §. fin. ff. de pen. legat. & resolutio in specie Albericus in cap. 1. q. 7. de hæresi. in 6.

3. Verum his non obstantibus contra Generales Religionum non debent Inquisitores procedere, sed certior faciant summum Senatorem Inquisitionis, ut bene observat Zanardus in direct. Theol. par. 2. cap. 6. q. 23. Peirinus in privit. Minut. tom. 2. constit. 9. Pauli P. §. 1. n. 2. & alij. non sequitur tamen ex hoc quod Generales cum privilegio Episcoporum in hoc commune aliquid habeant, quicquid involvat uterque Rodriguez & Pegna ubi supra.

4. Notandum est hic obiter quod licet Pius V. venerit in consil. Pastoris æterni, ut Inquisitores possint inquirere in omnes Religiosos hæreticos, vel de hæresi suspectos, dummodo à suis Superioribus præventi non fuerint, hodie tamen extat constitutio Pauli V. qua interdictum Prælati Regularibus cognoscere de causis hæreticalibus suorum subditorum, eoque punire. Et notat Sanctarellus de hæresi c. 40. dub. 3. n. 1. Zanardus in direct. Theol. p. 2. cap. 6. q. 23.

RESOL. XIII.

An Inquisitor possit procedere contra alium Inquisitorem de hæresi suspectum?

Et difficultas est, an Episcopus possit inquirere contra Inquisitorem de hæresi suspectum? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 25.

§. 1. Respondeo negativè, quia par in patrem jurisdictionem non habet, & ita notat Zecchius in summ. tom. 1. tit. de hæresi. cap. 1. n. 13. Suarez de fide dist. 20. sect. 4. n. 22. Pegna & Eymericus ubi supra, & alij communiter. Sed difficultas est, an Episcopus possit inquirere contra Inquisitorem de hæresi suspectum.

2. Affirmativam sententiam tenet Zanchinus de hæresi. cap. 8. n. 9. Gundissalvus de hæresi. quest. 7. n. 17. Decia